

tum fautor & vindex, sed & auctor insta-  
torque longè acerrimus; qui dum totus est vt  
vniformitatem rituum, sub quorum onere  
omnes boni gemunt, per totam Britanniam  
stabiliat, faciem Ecclesiæ deformauit, & penè  
compagem Ecclesiæ & Reipublicæ abrupit,  
idque vulneris inflixit, quo etiamnum tument  
duo regna à se inuicem diuisa, adeo vt ni ma-  
turè fidelium causa remedium adhibeat Deus,  
timendum sit ne res in peius ruant: etenim fa-  
cile est ἐκ τῶν παρόντων τεκμηρίοις τὰ μέλλοντα.

Annus est & quod excurrit, ex quo prodiit  
volumen ab ipso exaratum, & per annos plus  
minus viginti mediatum, antequam lucem  
aspiceret, quod continet acta disputationis  
cum Iesuita Piscatore, quæ quidem disputatio  
propior est amicæ velitationi, & collationi in-  
ter fratres in paucis dissidentes, quàm discepta-  
tioni inter duos sententia & Religione ex ad-  
uerso pugnantes: quisquis enim operam per-  
dere voluerit in euoluendo hoc libro, quem  
audio fidum esse custodem officinæ Bibliopo-  
larum, vtcumque sedulò curarit Latinè reddi,  
comperiet Archiepiscopum eo modo impu-